DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

NUNCUPATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT

INEST VILELMI CLEMMII DE FRAGMENTO QUODAM ALCMANICO COMMENTATIO

GISSAE

TYPIS OFFICINAE BRUEHLIANAE ACADEMICAE (FR. CHR. PIETSCHI)

MDCCCLXXVI.

Athenaeus posteaquam multos homines edaces atque helluones enumeravit, commemorat [1]) etiam Alcmanem poetam his verbis : καὶ ᾿Αλκμὰν δὲ ὁ ποιητὴς ἑαυτὸν ἀδηφάγον εἶναι παραδίδωσιν ἐν τῷ τρίτῳ διὰ τούτων

καί ποκά τοι δώσω τρίποδος κύτος,
ᾧ κ' ενιλεα γειρης.
ἀλλ' ἔτι νῦν γ' ἄπυρος, τάχα δὲ πλέος
ἔτνεος, οἷον ὁ παμφάγος ᾿Αλκμὰν
ἠράσθη χλιερὸν πεδὰ τὰς τροπάς·
οὔ τι γὰρ ἠὺ τετυγμένον ἔσθει
ἀλλὰ τὰ κοινὰ γὰρ ὥσπερ ὁ δᾶμος
ζατεύει.

Ita haec verba in codice Veneto A leguntur, quem licet inter Athenaei codices longe optimus sit multis tamen vitiis scatere Dindorfius demonstravit [2]). Eandem fere versus secundi sive scripturam sive corruptelam exhibent quae in cod. B. leguntur : ὢ κενιλεα γ' εἴρης, paullo aliter sonant cod. Palat. verba : ὢ καὶ νίλεα τριήρης, Ursinus et Stephanus ὢ Νίλεα omissa καί particula scripserunt. Nostra aetate variis coniecturis viri docti corruptum versum sanare studebant, nec tamen iis contigit, ut probabilem proponerent emendationem. Quid mirum, si novissimo fragmenti Alcmanici editori satis erat lacunam indicasse recepta Hermanni haud sane verisimili coniectura?

---

[1]) X p. 416 C.

[2]) Philol. XXX p. 74 sqq. Ex hoc codice Veneto saec. X omnes libros mss. saec. XV et XVI fluxisse Dindorfius gravissimis argumentis probavit, quamquam ex apographis quoque nonnunquam idoneae lectiones redundant.

Athenaeus sine dubio Alcmanem immerito inter helluones rettulit, cum is nec fragmento antea laudato edacitatis sese accuset neque eo quod Athenaeus e quinto libro carminum Alcmanicorum addit

ὥρας δ' ἔϛηκε τρεῖς, θέρος
καὶ χεῖμα κὠπώραν τρίταν
καὶ τέτρατον τὸ ἦρ, ὅκα
σάλλει μέν, ἐσθίεν δ' ἄδαν
οὐκ ἔϛιν.

Iam Henricus Stephanus adjectivum παμφάγος in malam partem accipi vetuit collatis tribus locis plane perspicuis[3]), ubi e contrario ‚contentum' significat, non aliter ac si nos dicimus: *der Alles isst.* Quartum locum Welckerus[4]) addidit, qui rectissimo iudicio fragmenti nostri argumentum hoc esse voluit: donum poeta amatae puellae vel sponsae promittit, ut pastor apud Theocritum V, 104 mulctram cupressinam et craterem. Hoc donum quale fuerit, ex ipsius poetae verbis minime corruptis satis clare apparet. Erat enim tripus ventruosus (τρίποδος κύτος) igni nondum impositus (ἀλλ' ἔτι νῦν γ' ἄπυρος) i. e. novus, quem tamen brevi poeta sperat pulte repletum iri utpote quo cibo praecipue delectetur (τάχα δὲ πλέος ἔτνεος, οἷον ⏑́ — ἠράσθη). Nam non quaerit poeta victum artificiose apparatum (ἠὺ τετυγμένον) sed cottidianum ac sobrium (ἀλλὰ τὰ κοινὰ γὰρ), quo vulgus contentum sit (ὥϛπερ ὁ δᾶμος ζατεύει). Quid igitur? nonne haec omnia plana ac perspicua sunt? nonne moribus Lacedaemoniorum vel maxime accommodata? inter quos quoniam poeta vivebat, licet e Lydia[5]) oriundus esset, etiam cum iis vivendum erat. Nec minus quam de ipsius poetae consuetudine vivendi de

---

[3]) Aristoteles, pol. I, 3, 3 animalia esse ait τὰ μὲν ζωοφάγα, τὰ δὲ καρποφάγα, τὰ δὲ παμφάγα. Plut. symp. IV, 1, 3 corvum et cornicem παμφάγα τε καὶ πάσης ἁπτόμενα τροφῆς, Plin. VI, 30, 35 distinguit Agriophagos Pamphagos Anthropophagos.

[4]) Scr. min. IV, 66. Cf. Arist. hist. an. VIII, 5 ἡ δὲ ἄρκτος παμφάγον ἐστί.

[5]) Nam dubitari nequit, quin suo iure Maur. Schmidtius Philol. XVIII, 227 Aristarchi de patria Alcmanis sententiam apud Suidam restituerit hac transpositione: 'Αλκμὰν Λυδὸς ἐκ Σάρδεων, κατὰ δὲ τὸν Κράτητα πταίοντα Λάκων ἐκ Μεσσόας. Si recta essent quae nunc in editionibus Suidae leguntur, Aristarchus errasset, Crates verum vidisset. Consentit Vell. Pat. I, 18, 3 *Alcmana Lacones falso sibi vindicant* et Alex. Aet. Anth. Pal. VII, 709. Etiam qui postremum de vita Alcmanis scripserunt, Teuffelius in Paulyi encycl. litt. ant. I², 683 sqq. et Benselerus, quaest. Alcman. (Isenaci 1872) I, p. 3 Schmidtii rationem merito laudarunt. Dubitat qui Benseleri commentationem recensuit in Ind. phil. suppl. IV p. 330.

Lacaenarum virginum moribus e carmine nostro ideo iudicaveris, quod amatae puellae ut Welckerus monuit culinariam potissimum supellectilem poeta donaverit. Verum ne inde quidem multa colligi possunt, maioris momenti est hilarem illum ac facetum animum cognoscere quo Alcman multi ioci poeta ut alios versus ita hos quoque effudit.

Quod sane Hartungium [6]) in eum errorem inducere non debuit, ut fragmentum nostrum ad scolia pertinere censeret, qualia etsi Alcmani post Terpandrum facile adscribimus, tamen paullo aliter ea comparata erant. Obstat enim nostri fragmenti et argumentum et metrica forma, quae cum a scoliorum exsultanti levitate nimis recedat, odarum magis in modum composita esse videatur. Quo in genere Alcmanem non pauca novasse constat, quamquam singula sunt obscura. Ac de tetrametris dactylicis nemo dubitare potest, ambigitur illud, quomodo Alcman in carmine nostro singulos versus ad stropharum aequabilitatem redegerit. Westphalius [7]) quaternorum versuum strophas agnoscit ita quidem, ut senos tetrametros ad ternas octapodias poeta coniunxerit sequente pro clausula tetrapodia catalectica. Quod si ita se habet, ab ultimo vocabulo fragmenti nostri ζατεύει alteram stropham incepisse statuendum est. Hac ratione Alcman, qui carminibus suis cum choricae poesis severitate mirum in modum Lesbiacorum vatum hilaritatem coniunxit, prope accedit ad eam stropharum formam, quam postea Sappho satis notum est quanta elegantia excoluerit. Sed quoniam de stropharum compositione Alcmanica nisi e paucis illis misereque dilaceratis fragmentis iudicare non possumus, Westphalii ratio quamvis probabilis esse videatur, tamen non prorsus certa est. Neque vero apparet versus nostros ad παρθένια sive παρθενεῖα [8]) pertinere quo eos Schneidewinus revocavit in delectu poetarum melicorum. Nam etiamsi felicissimo casu accidit ut partheniorum ab

---

6) In editione poetar. lyricor. Graecor. vol. V p. 141.

7) De re metr. Graec. II² p. 367. Aliter post eum Christius de re metr. Gr. et Rom. p. 257 fragm. XXXIV ed. Bergk. disposuit quod eodem metro ac nostrum utitur.

8) Tres enim huius vocabuli scripturas invenimus παρθίνια, παρθένεια, παρθενεῖα, quarum media vel minimam habet commendationem. Tertia forma Arist. Av. v. 919 quae metro sola convenit secundum scholiastam προπερισπομένως scribenda est. Comparat Ahrensius Philol. XXVII, p. 245 adn. 2 ἀνδρεῖος, γυναικεῖος, παιδεῖος.

Alcmane inventorum frustula quaedam e papyro illo nobilissimo olim Aegyptio nunc Parisino colligerentur, virorum doctorum adhuc nemo tradita verba non dicam restituit sed ne probabili quidem ordine disposuit [9]). Illud sane cum reliquiis Parisinis tum grammaticorum Alexandrinorum definitionibus manifestum est haec carmina a choris virginum ita esse cantata, ut non solum virgines deorum virorumque fortissimorum facta celebrarent sed suas etiam ipsae laudes praedicarent, id quod ex altera fragmenti Parisini columna elucet. Niggemeyerus [10]) cum hac ratione varias parthenii definitiones optime comprehendi intellexisset, eo rettulit schol. Arist. Av. 918 παρθενεῖα· ἔστι δὲ τὰ εἰς παρθένους ᾀδόμενα, reiecta futili illa grammaticorum opinione [11]) qua παρθένια sint carmina a choris virginum cantata, παρθενεῖα in virgines scripta (cf. supra adn. 8). Etiam a Proclo hanc duplicem partheniorum naturam declarari voluit his verbis : εἰς θεοὺς δὲ καὶ ἀνθρώπους παρθένια. Sed Procli definitio non potest a tota eius de lyrico genere disputatione segregari.

Is enim, sive Didymi περὶ λυρικῶν ποιητῶν sive alius auctoris περὶ ποιητῶν librum [12]) compilavit, sine dubio grammaticos Alexandrinos secutus est. Quorum doctrina etsi nescimus qualis fuerit, tamen qui summam eius in Procli chrestomathia grammatica latere concesserit, tripartitam melicae poesis divisionem Alexandrinis grammaticis placuisse intelleget. Distinxisse enim illi videntur carmina in deos

---

[9]) Tractarunt has reliquias post Eggerum Bergkiumque Blassius, mus. Rhen. XXIII, 545 sqq., XXV, 177 sqq., Ahrensius Philol. XXVII, 241 sqq., 577 sqq., Christius ib. XXIX, 211 sqq., Caninius, fragments du parthénée d' Alcman pour la fête des Dioscures, Paris 1870. Quorum mihi virorum doctorum Ahrensius plurimum ad restituendum carmen contulisse videtur, quod in strophas distributum fuisse intellexit. Quot versuum hae strophae fuerint, quaternum denum ut Ahrensius voluit an plurium, nunc non quaerimus.

[10]) De Alcmane poeta Laconico (Monasterii 1869) p. 44 sq. Itaque non prorsus accurate de partheniis iudicavit Odofr. Muellerus, hist. litt. Graec. I², p. 352, nimirum cui reliquiae Parisinae etiamtum ignotae essent. Niggemeyerus autem eo erravit, quod p. 41 ipsum poetam ut choragum virgines facit alloquentem. Cf. Ind. philol. suppl. IV, p. 18.

[11]) Cf. Schweighaeuserus ad Athen. XIV, p. 631 D (vol. VII, p. 444).

[12]) Qui viri docti apud veteres περὶ ποιητῶν scripserint, Maur. Schmidtius, Didymi chalc. fragm. p. 386 sq. exposuit. Didymi liber περὶ λυρικῶν ποιητῶν, unde elegorum, hymnorum, prosodiorum definitiones vel apud Orionem Thebanum vel in Etymologico Magno desumpta sunt, saepius diserte laudatur. Proclus qui de his generibus eadem fere verba exhibet ex eodem fonte hortulos suos irrigasse videtur.

cantata ab iis quibus homines poetae praedicarent, his accessit tertium genus eorum quibus et deorum et hominum laudes celebrarentur [13]). Atque eam descriptionem ne Proclus quidem spreverat, quamquam apud Photium ubi tria genera melica indicantur non solum quartum immiscetur sed etiam tertium quod ab initio positum erat postea melicum esse negatur. En habes tradita verba [14]): περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεώς φησιν ὡς πολυμερεστάτη τε καὶ διαφόρους ἔχει τομάς. Ἃ μὲν γὰρ αὐτῆς μεμέρισται θεοῖς, ἃ δὲ ἀνθρώποις, ἃ δὲ εἰς προςπιπτούσας περιστάσεις. Καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον, προσόδιον, παιᾶνα, διθύραμβον, νόμον, ἀδωνίδια, ἰόβακχον, ὑπορχήματα. Εἰς δὲ ἀνθρώπους ἐγκώμια, σκολιά, ἐρωτικά, ἐπιθαλάμια, ὑμεναίους, σίλλους, θρήνους, ἐπικήδεια· εἰς θεοὺς δὲ καὶ ἀνθρώπους παρθενεῖα, δαφνηφορικά, (τριποδηφορικά), ὀσχοφορικά, εὐκτικά· ταῦτα γὰρ εἰς .θεοὺς γραφόμενα καὶ ἀνθρώπων περιείληφεν ἐπαινούς. Τὰ δὲ εἰς τὰς προςπιπτούσας περιστάσεις οὐκ ἔστι μὲν εἴδη τῆς μελικῆς, ὑπ' αὐτῶν δὲ τῶν ποιητῶν ἐπικεχείρηται. Τούτων δέ ἐστι πραγματικά, ἐμπορικά, ἀποστολικά, γνωμολογικά, γεωργικά, ἐπισταλτικά.

Hanc argumenti discrepantiam Waltherus [15]) ita explicare voluit, ut Proclum a grammaticis Alexandrinis paullulum eo recessisse statueret quod eorum tertium genus praetermisisset vel potius ut ex duobus prioribus concretum iisdem generibus quasi subdivisionem quandam subiunxisset [16]). Quod cur fecisset, Proclum probabili ratione confirmasse, epitomatores vero ut mos esset in breviariis iis addendis supersedisse, qua re fontem erroris ac dissensionis esse apertum. Ita certe Photius vel si quis ante eum chrestomathiam Proclianam excerpsit rem

---

13) Quamquam haec divisio ad universam poesin lyricam pertinebat. In singulis uniuscuiusque poetae operibus ordinandis veteres critici accuratius egerunt et tribus illis classibus multa genera comprehenderunt. Qua autem ratione vel Sapphus vel Alcaei vel aliorum poetarum carmina aut secundum argumenti diversitatem aut secundum metrorum speciem diviserint, hoc loco exponere longum est.

14) Phot. bibl. ed. Bekker. p. 319 sqq., scriptores metrici Gr. ed. Westphal. I, p. 243 sqq.

15) De Graecae poesis melicae generibns (Halis Sax. 1866) p. 15 sqq.

16) Etiam Pindari carmina quondam tripartito divisa fuisse Waltherus suspicatur, sed quo iure alteram eorum recensionem simpliciorem recte a Boeckhio Aristophani tribui neget, alteram subtiliorem Aristarcho, dubitari potest. Cf. Boeckhius ad Pind. praef. p. X sqq., ad fragm. p. 553 sqq. Singula vero genera quam non certis finibus circumscripta sint, probavit Leop. Schmidtius, de Pindari vita et carm. (Bonnae 1862) p. 216 et 243, mus. Rhen. XVIII, p. 290.

intellexisse videtur, quamquam Proclum ipsum a tribus illis Alexandrinorum classibus profectum esse inde apparet quod deinceps singulorum generum exempla eo ordine proponit ut quarto loco peculiaris magis argumenti carmina enumeret. Hoc igitur genere quod ad res fortuitas (εἰς τὰς προςπιπτούσας περιστάσεις) pertineret sive Proclus sive alius ante eum grammaticus ea carmina comprehenderat quae nulli earum classium convenire viderentur. Παρθενεῖα cum aliis carminibus ad tertiam classem pertinebant, quae quomodo in sollemni pompa cantarentur Proclus fortasse uberius exposuerat. Cantabantur autem teste Polluce [17]) ad tibiarum sonum et alia ab aliis poetis secundum Plutarchum [18]) composita erant. Quare cum ad παρθενεῖα nostrum fragmentum referre ipso eius argumento vetemur, aliud genus circumspiciendum est quo pertineat.

Alcmanis carmina antiquitus in sex libros divisa legebantur (Suid. ἔγραψε βιβλία ϛ' μέλη), cui testimonio nihil est cur diffidamus. Sed qualia carmina singulis libris comprehensa fuerint, erui iam non potest, quoniam plerique scriptores qui quidem Alcmanicae poesis reliquias servarunt non addunt quo ex libro singula desumpta sint. Solus Athenaeus paullo accuratius egit cum interdum saltem librorum numerum adscriberet [19]). Sic nostrum fragmentum tertio libro eius collectionis continebatur qua Athenaeus usus est et cuius quinto libro non adversabor si scolia infuisse contenderis. Nam quae doctus ille litterator inde repetiit imprimis fragm. LXXVI ed. Bergk. supra allatum (ὥρας δ' ἔσηκε τρεῖς κτλ.), ea nec propter argumenta nec propter metra a scoliorum indole ac natura abhorrent, quamquam Schneidewino satius esse visum est pro titulo ἄδηλα iis superscribere. Tertio autem libro Alcmanicorum operum editores fortasse amatoria carmina (ἐρωτικά) complexi sunt, quod genus ille primus invenisse dicitur [20]). Atque hoc genere

---

17) Onom. IV, 81 καὶ τοῖς μὲν παρθενίοις αὐλοῖς παρθένοι προςεχόρευον.

18) Plut. de mus. 17, p. 1136 F. ὅτι πολλὰ Δώρια παρθενεῖα ἄλλα Ἀλκμᾶνι καὶ Πινδάρῳ καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Βακχυλίδῃ πεποίηται. Westphalius sane ἄλλα quod est in libris mscr. omisit.

19) Plerumque nullo addito numero Alcmanem laudat: I, 31 C.; II, 39 A.; III, 81 D., F., 114 F.; IV, 140 C.; IX, 373 E., 374 D., 389 F.; XI, 498 F., 499 A.; XIII, 600 F. alibi, tertius liber X, 416 C., quintus III, 110 F., 111 A.; X, 416 D. commemoratur.

20) Athen. XIII, p. 600 F. Ἀλκμᾶνα γεγονέναι τῶν ἐρωτικῶν μελῶν ἡγεμόνα. Suid. Ἀλκμὰν .... καὶ ὤν

ut varias species comprehensas fuisse consentaneum est, ita nostrum quoque fragmentum continebatur, quod peculiari nomine μέλος ἀποστολικόν vocaveris. Recte enim Waltherus[21]) ἀποστολικὸν μέλος id intellexit carmen quod poeta si quid amico vel amicae donaturus erat una cum dono mittere soleret. Proclus autem, cum talia quoque amatoria esse posse non negaret, ἀποστολικά simpliciter interpretatus ὅσσα διαπεμπόμενοι πρός τινας ἐποίουν quartae ea classi adnumeravit. Quod contra fecit Athenaeus[22]), apud quem τρόποι ἀποστολικοί et τρ. παρθένιοι plane idem significant neque ad singulorum poetarum carmina referuntur sed ad chori saltationes.

Carminis igitur apostolici versus emendandus nobis est, quo quaeritur quid poeta dicere non tam debuerit quam potuerit. Ac de Stephani, Casauboni aliorumque criticorum commentis qui Nelei nomen proprium e litterarum vestigiis elicere voluerunt hodie nemo iam cogitat. Plerique Athenaei editores atque interpretes post Schweighaeuserum versum alterum ad descriptionem tripodis pertinere putabant, cuius explicationis nostra aetate Welckerus bis patrocinium suscepit[23]). Athenaei autem doctissimus ille interpres qui e codicum scriptura ᾧ κ' ἐνὶ λεία τριείρης ediderat vertit: cui inest levis triremis, feliciorem tamen ut ipse fatetur vatem exspectans qui certiora nos doceret. Ac certiora Welckerus docere sibi videbatur cum totum locum ita restitueret

ᾧ κ' ἐνὶ λεία τριήρης, ἀλλ' ἔτι
[ἔντι γε] νῦν ἄπυρος, τάχα δὲ πλέος κτλ.

Hac in lectione si quis audaciam miretur qua τριήρης pro γ̄είρης vir Graecae poesis peritissimus scripserit, is meminerit γ̄ illud quod invenitur in codicibus Veneto et Laurentiano pro compendio esse posse syllabae τρι, quale etiam alii

---

ἐρωτικὸς πάνυ εὑρετὴς γέγονε τῶν ἐρωτικῶν. Iniuria Niggemeyerns p. 45 dubitat, num huius generis carmina proprie dicta qualia Alcaei et Anacreontis fuerint Alcman scripserit.

[21]) l. l. p. 19, ubi carminis apostolici exemplum esse vult Theocriti carmen XXII quod ἠλακάτη inscribitur. Ad ipsum genus spectat etiam Bekk. anecd. Gr. I, p. 436 [ἀποστολαί] ἀποπέμψεις, δῶρα.

[22]) XIV, p. 631 D. βέλτιστοι δ' εἰσὶ τῶν τρόπων οἵτινες καὶ ὀρχοῦνται. εἰσὶ δὲ οἵδε, προσοδιακοί, ἀποστολικοί, οὗτοι δὲ καὶ παρθένιοι καλοῦνται, καὶ οἱ τούτοις ὅμοιοι.

[23]) Fragmenta Alcmanis lyrici coll. F. G. Welcker, Gissae 1815, p. 38 sq., scripta minora IV, 63 sq.

librarii usurpaverunt. Similiter τρισύλλαβος scribitur γ̄σύλλαβος, δισύλλαβος β̄σύλλαβος et sic porro ceterae litterae ad numeros indicandos adhibentur. Cuius generis nonnulla exempla Bastius[24]) collegit, pauca Welckerus addidit nec desunt plura quaerenti alia apud alios scriptores. Sed apud Athenaeum tam multa vocabula composita inveniuntur, quorum priora membra cum numeralia sint integra tamen litterarum serie scribuntur, ut compendiosam illam scripturam nemo praeter necessitatem admittere debeat. Iam vero ipsam vocabuli τριήρης significationem quo tandem modo probaveris nostro loco optime quadrare? fuerunt sane qui crederent quae Welckerus iam in prima fragmentorum Alcmanicorum editione de τριήρης poculi nomine docte exposuerat, sed hos explicatores velut Odofr. Muellerum et Boissonadium equidem puto omnes errasse quia memoriam vocis illius longius repetere noluerunt.

Epinicus enim comicus apud Athenaeum[25]) in fabula quadam quae Ὑποβαλλόμεναι inscripta erat hunc dialogum instituit

καὶ τῶν ῥυτῶν τὰ μέγιστα τῶν ὄντων τρία
πίνειν δεήσει τήμερον πρὸς κλεψύδραν
κρουνιζόμενον. ἀμφοτέρα δ' οἰωνίζομαι.
ἔστι δ' ἐλέφας. *B.* ἐλέφαντα περιάγεις; *A.* ῥυτὸν
χωροῦν δύο χόας. *B.* οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι
A. ἐγὼ δὲ τοῦτό γ' ἐκπέπωκα πολλάκις
B. οὐδ' ἐλέφαντος γὰρ διαφέρεις οὐδὲ σύ.
A. ἕτερον τριήρης· τοῦτ' ἴσως χωρεῖ χόα.

Pergit Athenaeus: περὶ δὲ τοῦ τρίτου λέγων φησίν
ὁ Βελλεροφόντης ἐστὶν ἀπὸ τοῦ πηγάσου
τὴν πυρπνόον χίμαιραν εἰσηκοντικώς.
B. εἶεν, δέχου καὶ τοῦτο.

---

24) Comment. palaeogr. p. 850 sqq. Cf. etiam Wattenbachii institut. palaeogr. Graec. p. 30.
25) XI, p. 497 A.

Meinekeus in editionibus et comicorum fragmentorum et Athenaei ita scripsit, quamquam nondum omnia plana sunt. Iubetur hoc loco sine dubio aliquis tria magna pocula ebibere quae ῥυτά vocantur. Hoc ῥυτόν — nam masculinam formam Meinekeus suo iure v. 5 apud Epinicum restituit — quale fuerit poculum Dorotheus Sidonius apud Athen. l. l. indicat his verbis τὰ ῥυτὰ κέρασιν ὅμοια εἶναι, διατετρημένα δ' εἶναι, ἐξ ὧν κρουνιζόντων λεπτῶς κάτωθεν πίνουσιν. ὠνομάσθαι δὲ ἀπὸ τῆς ῥύσεως. A cornibus ῥυτά ita differebant, ut cum illa ut etiamnunc in extrema parte ampliore aperta essent, haec in angustiore foramen haberent et plerumque in capita animalium desinerent, unde nomina poculorum velut γρύψ, κάπρος, ἵππος, πήγασος alia derivantur. Haec nomina ut recte Beckerus[26]) exposuit ad alia quoque vascula transferebantur, quae quidem animalium capitibus essent ornata. Cf. Hedyli[27]) epigramma apud Athen. servatum et vasorum imagines a Panofka[28]) collectas.

Tria igitur eiusmodi pocula eaque solito maiora Epinicus nescio quem miserum ebibere vult ad clepsydram κρουνιζόμενον h. e. ita ut ex altero fonte sive ex angustiore parte cornus imbibat vel potius sorbeat. Addit qui loquitur ἀμφοτέρα δ' οἰωνίζομαι, quod Dobraeus[29]) etsi bene vertit: *i will bet*, nondum tamen satis explicavit. Verba quae sequuntur ἔστι δ' ἐλέφας primum poculum significant, non quo hoc sicut rhyta antea commemorata extrema parte alterutra elephantis habuerit formam, sed quia tam magnum erat, ut elephantis paene stomacho opus esset ad excipiendos duo choes quos complectebatur (οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι). Poterat

---

26) Charicles I², p. 190 sq.

27) l. l. D. ζωροπόται, ναὶ τοῦτο φιλοζεφύρου κατὰ νηὸν
τὸ ῥυτὸν αἰδοίης δεῦτ' ἴδετ' Ἀρσινόης
ὀρχηστὴν βήσαν αἰγύπτιον, ὃς λιγὺν ἦχον
σαλπίζει κρουνοῦ πρὸς ῥύσιν οἰγομένου,
οὐ πολέμου σύσσημα, διὰ χρυσέου δὲ γεγωνεῖ
κώδωνος κώμου σύνθεμα καὶ θαλίης,
Νεῖλος ὁκοῖον ἄναξ μύσταις φίλον ἱεραγωγοῖς
εὗρε μέλος θείων πάτριον ἐξ ἀδύτων.
ἀλλ' εἰ Κτησιβίου σοφὸν εὕρεμα τίετε τοῦτο,
δεῦτε, νέοι, νηῷ τῷδε παρ' Ἀρσινόης . . .

28) Acta soc. litt. reg. Borus. 1851, p. 1—36.

29) Advers. crit. (ed. Wagner.) III, p. 115.

hoc quoque poculum in caput elephantis desinere vel eius imagine ornatum esse [30]), sed nostro loco imprimis magnitudinem spectari elucet etiam e prioris interlocutoris responso rhytum illud nihilosetius saepe a se exhaustum esse gloriantis (ἐκπέπωκα πολλάκις). Etiam maior est alius eiusmodi elephas tres choes continens, quem Damoxenus comicus apud Athen. XI, p. 468 F. his verbis describit

> εἰ δ' οὐχ ἱκανόν σοι, τὸν ἐλέφανθ' ἥκει φέρων
> ὁ παῖς. *B.* τί δ' ἐστὶ τοῦτο, πρὸς θεῶν; *A.* ῥυτὸν
> δίκρουνον, ἡλίκον τι τρεῖς χωροῦν χόας,
> Ἄλκωνος ἔργον. προὔπιεν δέ μοί ποτε
> ἐν Κυψέλοις Ἀδαῖος.

Si autem primum rhytum Epinicus ridicula quadam veritatis superlatione tantae amplitudinis poculum finxit, in describendo altero verisimile est eum etiam longius modum excessisse, ut tres fortasse choes vel adeo plures eo comprehensos fuisse iocatus sit. Versum enim octavum una addita litterula ita scribendum esse censeo ut insequenti indicatum fuisse putandum sit, quot choes alterum poculum continuerit:

> *A.* ἕτερον τριήρης· τοῦτ' ἴσως χωρεῖ χόας...

Quare si elephas duo choes complectebatur, alterum poculum fortasse tres capere potuit ut elephas Damoxeni, languidum certe esset neque universae rei condicioni accommodatum, si ut nunc legitur in editionibus unum fere choem esset complexum (ἴσως χωρεῖ χόα), immo damnato illi potatori a minore onere ad maiora accedendum erat. Quale et quantum tertium poculum poeta finxerit ex Athenaei enarratione non satis clare perspicitur, sed quamvis magnum fuerit, tres vel quattuor choes ceperit, nomen sane ex forma ductum esse videtur. Neque enim dubitamus, quin recte Meinekeus poculum describi iudicaverit, quod πήγασος appellaretur et quale paullo superius [31]) commemoraretur. Bellerophontes cur e pegaso Chimaeram

---

30) Quamquam inter triginta quinque rhyta quae Panofka l. l. attulit nullum est elephanti simile.

31) Ath. XI, p. 496 E.

> κρατῆρε μὲν πρώτιστον ἀργυρῶ δύο,
> φιάλας δὲ πεντήκοντα, δέκα δὲ κυμβία,
> ῥέοντα δώδεχ', ὧν τὰ μὲν δέκ' ἀργυρᾶ
> ἦν, δύο δὲ χρυσᾶ, γρύψ, τὸ δ' ἕτερον πήγασος.

iaculo interfecisse hac occasione oblata narretur, Panofka[32] bene perspexit cum in hoc vasculo ut in aliis inter capita animalium et imagines ipsis rhytis impositas artiorem quendam conexum intercedere probaret. Certe quidem versus 9 et 10 priori interlocutori a Meinekeo recte tributi sunt, decimus alteri.

Alterum poculum τριήρης consulto[33] vocavit poeta, quod nomen nusquam praeterea invenitur. Ac satis notum est poculorum nonnulla nomina a navigiis desumpta esse, qualia affert Macrob. sat. V, 21 καρχήσιον, κύμβιον, κάνθαρος. Ex ipso Athenaeo facile plura conquiri possunt, singula exempla alii scriptores suppeditant. Porsonus[34] et Welckerus omnia fere collegerunt, quorum alter recte observat omnino vasorum et utensilium concavorum et ventruosorum nomina inter se similia et haud raro pluribus ita communia fuisse, ut cymba, cunabula, poculum, lebes multaeque aliae res uno eodemque vocabulo denotarentur. Sed quoscunque locos comparaveris, plateae, phialae, amphorae, catilli a navigiis nomina ducunt propter similitudinem, rhytis sive cornibus magis animalium nomina propria fuisse consentaneum est. Quare si Welckerum triremem patellam sive catillum fuisse opinatur ad hauriendam ex lebete pultem destinatum, vereor ne temere hanc proposuerit coniecturam. Tenendum enim est apud solum Epinicum vocabulum τριήρης de poculo usurpari, hunc solum ab ipso Athenaeo[35] in definienda trireme citari, ad hunc solum pertinere Hesychii glossam a Welckero quoque laudatam τριήρης· ἔξω τῆς νεὼς καὶ ῥυτόν τι ἔκπωμα. Accedit quod nec Pollux qui multa poculorum genera enarrat[36] triremem novit nec recentiores viri docti qui qualia illa fuerint explicarunt hanc commemoratione dignam habebant. Quid plura? Rhytum Alcman amatae puellae minime donavit, etiamsi patella sive catillus fuisset quo tanquam pro cochleari uteretur. Quin etiam ridiculum fuisset tale

---

32) l. l. p. 27.

33) Magnitudo enim poculi ipso nomine indicabatur. Similiter de re magna idem vocabulum posuit Philostr., her. 10, p. 677 Ἀχιλλεῖ καὶ Ὀδυσσεῖ ἀναθεῖναι (Ὅμηρον) τριήρη τεττάρων ἐπῶν.

34) Ad Eurip. Med. 139.

35) XI, p. 500 F. Τριήρης. ὅτι καὶ τριήρης εἶδος ἐκπώματος Ἐπίνικος ἐν Ὑποβαλλομέναις δεδήλωκε. προείρηται δὲ τὸ μαρτύριον.

36) Onomast. VI, 95—100.

donum. Nam si quidem Epinicus de trireme poculi nomine audiendus est, permagnum id vas erat (τῶν ῥυτῶν τὰ μέγιστα τῶν ὄντων), quod licet unum tantummodo choem amplecteretur tres fere litros ut nos dicimus capiebat. Iam vero si Lacedaemoniorum metra Atticis dimidio maiora erant, quantum tandem ipsum lebetem fuisse censeamus, cui catillus ille auctore Welckero immitteretur (ᾧ ἔνι)? Sed τριήρης, inquit, in Palatino certum videtur. Esto, certum videatur; dummodo ne Venetus ille patricius, Paulus Decanus, cum anno 1506 apographum ederet nunc Palatinum, codice usus esset vilissimo multisque mendis inquinato.[37]

Quae cum ita sint, mittamus catillum ab Alcmane versu altero fragmenti nostri puellae oblatum, ac mittemus eo facilius quo graviores nascuntur difficultates e cetera Welckeri lectione. Verba enim ἀλλ' ἔτι cum finem esse iubeat versus alterius, ab initio tertii lacuna est, quam Boissonadio praeeunte explere studet verbis ἔντι γε. Sed nollem vir doctissimus egregiam Ahrensii[38] disputationem neglexisset, qua is tertiae pers. sing. formam ἔντι nonnusquam apud Philolaum et passim alibi traditum ab antiqua et genuina Doride abiudicavit. Welckero probandum erat eiusmodi formam omnino extra plebeium sermonem exspectari posse, quod nisi praestitit non debebat eam Alcmani obtrudere. Neque ulla ratione probabilior fit haec coniectura eo quod in nonnullis Athenaei codicibus ἔντι pro ἔτι scribitur, cum earum vocum confusionem librarii saepius commiserint. Postremum nihil prorsus est, cur tertium fragmenti nostri versum pro corrupto habeamus; infra quid de particulae καί elisione statuendum sit exponetur.

Aliam emendandi viam ii interpretes ingressi sunt qui versum lacunosum ad id quod poeta donato lebete contineri vellet referrent. Quo e numero primus exstitit Godofredus Hermannus[39] cum scripsit ᾧ κ' ἔνι λεια .... ἀγείρῃς vertens: *wo du viel hineinthun, worin du viel sieden kannst.* Quod Dindorfius, Schneidewinus, Bergkius laudarunt edentes λε' ἀγείρῃς, vituperavit Welckerus. Is enim

---

37) Cf. Dindorfius, Philol. XXX, p. 76.
38) De dial. Dor. 319 sq.
39) Epit. doctr. metr. p. 239.

postquam nimis anxiè Germanicum verbum *sieden* ut de pulte nove dictum reprehendit qui codicum, inquit, scripturam temere spreverunt, non reputarunt neque $\bar{\gamma}$ adeo facile quam simplex *L* in *A* mutari neque vel aquam et farinam vel quicquid ad pultem coquendam pertinet colligi in vas. Rationem palaeographicam, ubi de unius litterulae confusione agatur, forsitan mireris ei offensioni esse qui ipse multo rarius usitatum compendium admiserit, altero autem argumento Welckerus nihil probat. Nam de variis pultis elementis in lebete concoquendis optime posse ἀγείρειν dici nescio cur negemus. Verum enim vero Hermanni coniectura nondum sufficit ad restituenda poetae verba: manet lacuna, manet illud λεια vel λε' vel si quid praeterea enucleaveris, quod nemo dixit quid sibi velit. Quare alii aliter locum sanare voluerunt. Meinekeus[40]) suspicatur ᾧ κὲν ἐδέσματα πολλ' ἐναγείρῃς confessus tamen haec incerta esse, nec minus audacter Hartungius scripsit ᾧ κ' ἔνι πυάνιόν σοι ἀγείρῃς. Utrumque a sensu probari posset, nisi a codicum scriptura nimis recederet. Habeo quod propius accedat nec minus bonum vel potius etiam meliorem sensum praebeat ᾧ τί καν ἱλάως ἐναγείρῃς h. e. in quem (scil. lebetem) benigne aliquid colligas vel, si quis cum Hermanni versione aliam Germanicam comparare velit: *wo du so freundlich sein kannst, etwas hineinzusammeln.* Quid sit illud τι iocosa reticentia indicatum, poeta paucis versibus post ipse aperit. Ne quis autem verbum ἐναγείρειν de cibo usurpari posse neget, meminerit apte hoc vel de singulis rebus praedicari quibus pultem poeta constare vellet vel ad lebetem spectare paullatim cibo replendum quo id modestius amator precetur. Etiam Dindorfio, Hermanno, Schneidewino, Bergkio verbum ἀγείρειν hoc sensu nihil habere offensionis videbatur.

Sic eorum quae in codicibus leguntur unaquaeque littera servata est, hoc posito ac concesso Doricas formas α vocali scriptas, quod persaepe fit in eiusmodi fragmentis, Atticis fuisse mutatas[41]) utpote usitatioribus et librariis magis cognitis. Itaque κέν pro κάν, ἵλεως pro ἱλάως scriptum erat, α autem ad

---

40) Anal. crit. ad Ath. deipnosoph. p. 183.

41) Sic, ut fragmenta Alcmanica ab Athenaeo servata breviter perlustremus, XXVIIII, 2 in cod. Ven. A est ὄρνιθος pro ὄρνεις, XXXIV, 3 libri χρύσεον exhibent, quo loco Bergkius recte χρύσιον scripsit, ib. in codd. PVL. ἔχουσα legitur, non ἔχοισα, XXXVII, 1 Μοῦσαν vulgata lectio erat pro Μῶσᾶν, alia.

ἀγείρῃς pertinet, lineola superscripta nescio an ἐν praepositio indicata fuerit. Evanuerunt igitur paucae syllabae huius versus, nec tanta lacuna est quantam Welckerus aliique explicatores eam esse arbitrabantur. Quod gravius est, grammaticas quoque difficultates expedivimus. Apud Welckerum enim et qui eum secuti sunt particulae καί elisio offendebat, quam ipse vir doctissimus notabilem vocavit licentiam. Ac Thierschius[42] quidem cum particulae copulativae diphthongum non solum apud Homerum sed etiam apud Pindarum aliosque poetas haud raro elidi concederet, multis locis perperam κ' (sive χ') pro καί esse voluit, ubi alii interpretes aut adverbium modale aut crasin subesse statuerunt. Quare contra eum acerrimus exstitit adversarius Spitznerus[43] cui Homerus particulae καί elisionem prorsus ignorasse videretur. Sed in negando hac elisione Spitznerum modum migrasse Baeumleinius[44] iudicavit qui pauca saltem exempla agnosceret Homerica, quamquam apud poetas lyricos nemodum talia probavit. Alcman ipse crasin exhibet particulae καί fragm. LXX κἠπί, LXXIV, 3 κἠν, elisionem nusquam. Multo simplicior res est, si κάν pro κέν quod est in archetypo Veneto scribimus.

Haec enim particula κάν non modo nihil habet difficultatis sed quaerenti eiusdem generis exempla gratissime offertur. Nam postquam Buttmannus aliique grammatici multa de formis κέν, κέ, κά et quidem magnam partem falsa docuerunt, Hugo Weberus[45] peculiari libello hanc quaestionem rectissime ita diiudicavit ut cum titulo Arcadico paullo ante edito tum linguarum comparatione edoctus κάν primigeniam formam esse probaret. Cui assensus est Delbrueckius[46]. Particulae vero κάν cum praeter quattuor fere exempla titulo illo Arcadico servata[47] nec grammatici

---

42) Gramm. Graec. p. 243, 411.

43) Hom. Iliad. excurs. XIII, §. 2.

44) Quaest. de modis Graec. p. 162 sq. Etiamnunc Homeri editores de ea re dubitant, sed recte plerique non tam elisionem quam crasin particulae καί agnoscunt B 238, Z 260, N 734, γ 255, ζ 282. Singula persequi a proposito nostro alienum est. Cf. La Rochii quaest. Homer. (Lips. 1869) p. 284 et Hartelii stud. Homer. III, p. 44. Delbrueckius in quaestionibus synt. ab ipso et Windischio editis (Halis Sax. 1871) p. 180 iniuria Z 260 κ' particulae κέ adscribit, nec Kuehnerus, gramm. ampl. Gr. I², p. 188 Baeumleinio elisionem concedere debuit.

45) De part. Dorica ΚΑ., Halis Sax. 1864.

46) In quaestionibus syutact. ab ipso et Windischio editis p. 86.

47) Particulam κάν tituli Arcadici tractat Weberum secutus Gelbkeus, de dialecto Arcadica in Curt. stud. II, p. 12.

nec scriptores reliquias praebere viderentur, ecce nobis Alcman novum suppeditat indicium. Quem si quis tamen κέν formam praetulisse e codicum scriptura velit colligere, is eam auctore Ahrensio[48]) universae Aeolidi propriam fuisse statuat, sed titulo Arcadico reperto nescio an praeter κέ sive κέν etiam κάν eidem dialecto tribuamus. Quamquam id diserte monere ne opus quidem est, cum nuper Benselerus accuratius demonstraverit Alcmanem Dorica potius dialecto Aeolismis quibusdam intermixta esse usum. Vocalem denique particulae κάν correptam fuisse, non est quod post doctam Weberi disputationem pluribus verbis exponam.

Adverbium ἔλάως suam servavit quantitatem, cum ab initio molossum efficiat. Sed iam apud Homerum alpha corripi coeptum est, a poetis tragicis saepius ita usurpatur quam productum. Sic tetrapodiae alterius pes alter spondeo expletur ut in priore quod usitatius est quam in primis pedibus, praeterea versus est Ἀρχι-λόχειον ut tertius et sextus editionis Bergkianae, ceteri κατ' ἐξοχήν Alcmanicum[49]) habent exitum. Κάν — ἐναγείρῃς universae rei condicioni animoque donaturi lebetem poetae egregie convenit. Non enim habemus eum coniunctivum cum particula modali coniunctum quem in enuntiatis relativis pedestris oratio saepissime exhibet sed coniunctivum finalem, cui sicut apud Homerum[50]) κάν accedit, quo modestius poeta quod exspectet nisi condicionibus quibusdam propositis eventurum non esse indicet. Si solo coniunctivo usus esset, sine dubio confidentius fore speraret ut amata puella amanti sibi morem gereret.

Superest, ut pauca de versu quinto fragmenti nostri addamus. Meinekeus enim suo iure observavit insolens esse ἠράσθη cum accusativo coniunctum. Quam offensionem leni mutatione ita vitavit, ut infinitivum ἔσθειν (pro ἔσθει) v. 6 trans-

---

48) De dial. Aeol. p. 45 et 156. Accuratius Weberus formas ita distinguit ut praeter κάν breviorem formam κά apud Boeotos, Eleos, Dorienses in usu fuisse doceat, κέν et κέ Lesbiis tribuat et Ionibus.

49) Cf. Westphalius l. l. 362.

50) Exempla collegerunt Delbrueckius et Windischius l. l. p. 130. Coniunctivum recto explicat Delbrueckius p. 37, qui eundem modum in enuntiatis primariis apud Homerum frustra quaesivit p. 20 sq. Tetigit hunc coniunctivum Kruegerus, gramm. Gr. II³, 2 (Berol. 1871) §. 53, 7, 3, paullo uberius tractavit Kuehnerus gramm. ampl. Gr. II², p. 931, sed neuter perspexit, qua ratione is usus e totius modi vi ac natura intellegendus sit.

poneret. Equidem hanc transpositionem non possum non laudare totumque fragmentum poetae ita fere reddidisse mihi videor:

στρ. καί ποκά τοι δώσω τρίποδος κύτος, ᾧ τι κὰν ἵλάως ἐναγείρῃς.
ἀλλ' ἔτι νῦν γ' ἄπυρος, τάχα δὲ πλέος ἔτνεος. οἷον ὁ παμφάγος Ἀλκμὰν
ἠράσθη χλιερὸν πεδὰ τὰς τροπὰς ἔσθειν· οὔτι γὰρ ἠὺ τετυγμένον,
ἀλλὰ τὰ κοινὰ γάρ, ὥςπερ ὁ δᾶμος

ἀντ. ζατεύει.

Utinam ne fortunae malignitas cetera nobis invidisset!